

## SI LIBERTUS AUT SERVUS AD DECURIONATUM ADSPIRAVERIT.

### 10.32.1

*Imp. Diocletianus et Maximianus AA. Saturnino.*

Si libertus vel ius aureorum anulorum adeptus non est vel natalibus suis non restitutus, praeses provinciae non tantum curiae participare non permittet, sed iuxta legis severitatem congruenti poena ulciscetur.

### 10.32.2

*Idem AA. Orcinae.*

Praeses provinciae, si eum qui aedilitate fungitur servum tuum esse cognoverit, si quidem non ignarum condicionis suae ad aedilitatem adspirasse perspexerit, ob violatam servili macula curiae dignitatem congruenti poena adjiciet: si vero, cum opinione publica mater eius pro libera haberetur, ex decurione procreatus ad capessendum honorem errore lapsus processit, dominio tuo eum subjugabit.